mortalibus. Nobilem te ecclesia habeat
tempus senator habuit. Praeparat
divitias quas cotidie erogas & numquam
deficiant. Dum urget & aetas, dum ad-
huc canis spargitur caput, antequam
subeant morbi tristisque senectus & la-
bor, et rapit inclementia mor-
tis. Nihil in te mediocre contentus
sum, totum summum, totum perfectum
desidero. Sanctum uigilantium presbyterum
qua aviditate susceperim, melius est
ut prius verbis quam meis discas lit-
teris. Qui cur tam cito profectus
sit & nos reliquerit, non possum di-
cere. Ne laedere quempiam videar.
Tantum quasi praetereuntem & festinantem
paululum tenui & gustum ei nostrae
amicitiae dedi, ut ipsum discas quid in
nobis non desideres. Sanctam conservam
tuam & tecum in domino militantem per
te salutare volo. EXPLICIT.

EPISTULA HIERONIMI AD
AMANDUM PRESBYTERUM
DE DIVERSIS QUAES-
TIONIBUS

BREVIS E-
PISTOLA LONGAS
explanare non valet quaestiones.
& in artum multa concludens strin-
gere verbis, quod sensibus dilatatum est.
Interrogas quid significet illud in evan-
gelio iuxta Matheum: Nolite solliciti
esse de crastino; sufficit diei malitia
sua. Crastinum in scripturis sanctis fu-
turum tempus significat, sic Iacob
in Genesi loquitur: Exaudiet me cras
iustitia mea. Et ubi altare extru-
xit a duabus tribubus Ruben & Gad &
dimidia tribu Manasse, & ad eas to-
to Israhele eadem legatio mittitur,
cum Finees pontifici respondissent,
idcirco se altare fecisse, ne cras
filiis suis colendi dominum possessio de-
negetur. & multa istiusmodi in veteri
repperies instrumento. Qui ergo
de futuris nos cogitare prohibuit,
concessit de praesentibus propter humanae
vitae fragilitatem. Quod autem
dicit: sufficit diei malitia sua,
hoc modo intellege: sufficit nobis de
praesentibus huius saeculi angustias cogi-
tare. Quid necesse est sensum ad in-
certa & futura extendere,
quae aut consequi non possimus aut
forsitan cito inventa perdamus.
Kakian quae latinus vertit in ma-
litiam apud grecos duo significat,
& malitiam & adflictionem, quam
cacosin greci dicunt, & hic ma-
gis pro malitia transferri debuit.

quomodo intellegendum sit diei malitia sua

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0153